

sint malorum ludibriis expositi. De quo Paulus scribit: «Contemptibilia mundi elegit Deus». Ad haec nominantur purgamenta et sordes mundi hujus, quod eos non solum despiciant improbi, sed de medio tollere velint, quomodo se Paulus nominat, inquit (1): «Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc». Postremo, ut omnia semel comprehendam, de illis sic Paulus scribit: «Sancti ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt». Contra, impii et superbi nominantur, quod omnia sibi arrogent, ut apparet in psalmo (2) et in Ecclesiastico (3), et in cantico Virginis (4): et vocantur Tauri, et Unicornes propter ferociam nullis cohibitam legibus, ut eos non semel vocant Esaias atque David (5); et appellantur (6), propter eandem immanitatis vim atque saevitiam Leones (7), ut eos Job saepe nominat (8). Ex quo concluditur piorum esse injuriam pati, improborum inferre, improbosque ipsos, cum ad summum improbitatis ascenderunt gradum, maxime injurios evadere; et in eo gradu quando sunt, ruinae proprios factos et suppliciis maturos a Deo praecipitari in interitum, ideoque dici: ET OPERIET TE CONFUSIO, ET PERIBIS IN AETERNUM.

Duae sunt hujus poenae partes, quam dicuntur subituri Idumaei: confusio, et excidium sempiternum, quibus poenis non afficiuntur nisi ii, quorum est desperata salus. Et quod ad confusionis nomen attinet, sciri debet, id interdum pro ignominia, et turpitudine poni: interdum pro pudore, qui ex ignominia, aut certe ex ignominiae timore oritur: interdum pro iis quae afferunt ignominiam, qualia sunt flagitia, atque scelera. De primo dicitur in Ecclesiastico (9): «Ne glorieris in contumelia patris tui, non enim est tibi gloria,

(1) 1 Cor. iv. (2) Psal. cxviii. (3) Eccli. iiii et iv. (4) Luc. i.
 (5) Esai. xxxiv. (6) Psal. xxi. (7) Psal. lxvii. (8) Job. iv.
 (9) Eccli. iiii.

sed confusio», id est, ignominia. De altero in eodem libro (1): «Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam». Confusio autem quae gratiam conciliat non dubium est quin sit pudor, de quo idem scriptor multa in eodem scribit libro (2). De tertio recte illud accipiatur, quod Paulus ad Philippenses scribit (3), de iis loquens qui cum se peccatis maxime coinquinaverunt, tum maxime sibi placent. Nam, inquit, qui gloriantur cum malefecerint, et gloria in confusione ipsorum. Et quod Judas Apostolus in capite primo de iis dicit (4), qui ut mancipia libidinibus serviunt, despumare ipsos suas confusiones. Et quidem hebraicum בושא Bussa, pro quo noster hoc loco confusionem posuit, explicari non potest uno latino verbo, nam complectitur haec quae diximus universa. Nam sunt hebraeis duo verba litteris nonnihil dissimilia, sed sono atque significatione prope eadem: utrumque enim conculcare significat, sed alterum ad corpus pertinet, alterum ad animum proprie refertur. Bussa porro nomen ab eo deducitur verbo, cujus significationis vis proprie ad animum spectat, et significat animum eo modo affici, quo corpus, quando pedibus conculcatur, afficitur. Nam ut id loco motum, et ad terram allisum proteritur, ac pro vili habitum turpe redditur, pulvereque et luto foedatur; sic Bussa significat, aliquo malo in animum nec opinato irruente, dejectionem ipsius, et consternationem cum ignominia, et pudore et maxima quadam despectione conjunctam, utpote, in qua ipse animus suomet judicio convictus usque eo se turpem atque foedum reputat, ut oculos attollere non audeat. Haec igitur sive confusio animi a nobis, sive pudor, sive abjectio suimet, sive foeditas et turpitudine nominetur, est propria improborum poena, et sine dubio acerbissima poena. Unde Divus Joannes in Apocalypsi (5), ejus

(1) Eccli. iv. (2) Eccli. xli et xlii. (3) Ad Philip. iii.
 (4) Judae. i. (5) Apoc. iii.

potissimum poenae metu nos a flagitiis deterret, sic dicens: Suadeo tibi emere a me aurum ignitum, ut non appareat confusio nuditatis tuae. Et David etiam in psalmo (1) id ut omnium gravissimum malum sceleratis imprecatur scribens: Induantur confusione et reverentia qui maligna loquuntur super me. Cujus poenae ex eo in improbis tanta existit acerbitas, quia causae e quibus ea confusio oriri solet, sunt in improbis maximae. Oritur enim e flagitio, atque scelere, quibus plena est omnis ipsorum actio atque vita; ad haec auget in ipsis eum pudoris cruciatum, quod delusas suas spes ab iis in quibus eas collocarant, conspiciunt; quodque non solum vident illa salutem non attulisse sibi, aut malorum aliquam levationem, sed, pro brevi et falso gaudio perniciem conciliasse potius et sempiternos cruciatu, conspiciunt. Itaque spe sua falsi pudoreque pleni, dolori se atque miseriae conculcandos et proterendos permittunt, illaque dicunt, quae ex eorum persona Sapiens scribit (2): Transierunt omnia illa tanquam umbra, et tanquam nuntius praecurrens, et tanquam navis quae pertransit fluctuantem aquam. Nec solum haec propria est improborum poena, sed etiam est, pro ipsorum factis atque flagitiis, valde digna poena. Nam, ut diximus, improbi homines iidem arrogantes sunt atque superbi: quare decet, ut in infimo constituti loco, moerore oppressi et turpitudine cooperti, et flagitiorum suorum spe frustrati, et irrisi prae pudore erigere se non audeant. Quod autem non dixit irruet in te, aut apprehendet te confusio, sed operiet te potius, consulto ipsum fecisse puto, quo significaret in improbis omnia futura pudoris atque confusionis plena: quocumque enim se illis vertant, aut quacumque circumferant oculos, nihil visuri sunt, quod non ipsos confusione pudoreque afficiat. Atque haec de confusione, quae una pars est improborum supplicii:

(1) Psal. xxxiv. (2) Sap. v.

In altera vero de qua dicitur: ET PERIBIS IN AETERNUM, advertere oportet, pro peribis in hebraeo esse verbum, quod proprie excindere significat: excindi autem dici ab hebraeis eos, qui vel in calamitates graves incidunt, ut Job (1) sese, et Jeremias Moab (2), propter istam causam excissos appellant; vel qui omnino extinguuntur, et vitam cum morte commutant, ut ex Esaia (3) et ex Paulo ad Galatas liceat colligere (4). Ex quo fit, illis verbis: ET PERIBIS IN AETERNUM, significari futurum ut Idumaei, aut in gravem aliquam et perdiuturnam calamitatem incidant, aut ut intereant perpetuo: utrumque autem recte illis conveniat, si modo sua cuique illorum generi pars assignetur. Veri enim Idumaei patria eversa solo natali pulsati, et in exilium missi atque in servitutem abacti, ea in calamitate, e qua nunquam emergant, futuri praedicuntur: figurati, vero, dicuntur subituri interitum sempiternum. Utrovis autem modo hoc sive calamitatis, sive mortis malum accipiatur, constat perpetuum futurum, ex quo intelligitur proprie id pertinere ad significanda ea supplicia, quibus homines summo imbuti scelere affici solent. Nam quin etiam adversae res graves saepe calamitates justis importent dubitandum non est: de illis quidem certe, et de eorum vita fortunae telis semper exposita, nec exposita solum, sed confixa saepe ab ipsis atque confossa, ut vere Augustinus docuit (5), Sapiens scribit, justum hominem septies in die cadere; quod septies, hoc est: saepissime incidat in calamitates gravissimas. Sed ut hoc verum sit, tamen hoc inter probos interest, atque improbos; quod probi non opprimuntur malis, improbi malis succumbunt. Itaque mala probos paululum vexant, in sceleratos vero, atque improbos, ubi semel eos depresserunt, semper incumbunt. De probis canit David (6): «Multae tribulationes justorum, et

(1) Job. xix. (2) Jerem. XLVIII. (3) Esai. LIII. (4) Ad Galat. v.
(5) August. lib. xi de civit. c. xxxi. (6) Psal. XXXIII.

de omnibus iis liberavit eos Dominus» (1). Et alibi: si ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Et de probis simul atque improbis Salomon: «Septies in die cadit justus et resurget: impii autem corrudent in malum». Unde etiam probi, vita amissa, reliquias sui superstites habere in sacris dicuntur litteris, propterea quod nunquam ita occidant, ut mors, aut eorum extinguat virtutem, aut claritatem obscurat; aut vitam ita finiat, ut reditum illis intercludat ad immortalem et felicioram vitam. Contra autem de improbis dicitur, nullas illos relinquere sui reliquias post funus, quod cadunt non surrecturi, quodque excutere a se ea mala non possunt, quae semel incubuerunt in ipsos. Utrumque itaque diserte David (2): De justis Custodi innocentiam, et vide aequitatem, quoniam sunt reliquiae homini pacifico. De improbis. Injusti autem disperibunt simul: reliquiae impiorum interibunt. De justis Jeremias (3): Si non reliquiae tuae in bonum. Et Job allegorice in eandem sententiam (4): «Si absorberit eum, et dicet, non novi te, haec est laetitia viae ejus, ut rursus de terra alii germinent». Nam ut arbor, inquit, quae altissime radices egit, si quando id accidat, ut eam evellat quis, aut certe ferro detondeat, laetiora edit et uberiora germina; sic vir justus excissus pullulat, et mortuus non extinguitur, et calamitate ipsa atque aerumnis major efficitur, quale est, quod elegantissime Lyricus:

*Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedes, ab ipso
Ducit opes, animumque ferro.
Merses profundo, pulchrior evenit:
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem.*

(1) Psal. xxxvi. (2) Psal. xxxvi.

(3) Jerem. xv. (4) Job. viii.

De impiis vero idem Job (1): «Nonne succissa est erectio eorum, et reliquias eorum devorabit ignis». Et Esaias (2): «Et perdam Babylonis nomen, et reliquias et germen, et progeniem, dicit Dominus»; et paulo infra Abdias ipse: et non erunt reliquiae Esau. Sed pergamus ad reliqua:

IN DIE CUM STARES ADVERSUS EUM, QUANDO CAPIEBANT ALIENI EXERCITUM EJUS, ET EXTRANEI INGREDIEBANTUR PORTAS EJUS, ET SUPER HIERUSALEM MITTEBANT SORTES, TU ERAS QUASI UNUS EX EIS: ET NON DESPICIES IN DIE FRATRIS TUI, IN DIE PEREGRINATIONIS EJUS, ET NON LAETABERIS SUPER FILIOS JUDA. Mirus est hujus orationis ordo, atque textus, et maxime observatione dignus ad nonnulla sacrae scripturae obscura loca facilius intelligenda. Etenim superior versiculus: PROPTER INIQUITATEM IN FRATREM TUUM JACOB OPERIET TE CONFUSIO, ET PERIBIS IN AETERNUM, duo continet: unum, Idumaeos injurios fuisse in cognatos suos Judaeos; alterum, ob eam causam omnino esse delendos. Ad ea igitur duo magis explananda tres versus pertinent, qui sequuntur. Primus enim versus sequens explanat prioram partem superioris versiculi, eam scilicet: PROPTER INIQUITATEM IN FRATREM TUUM JACOB. Exponit enim atque explicat quanta ista fuerit iniquitas, quam exercuerunt Idumaei in Judaeos. Duo autem versiculi reliqui explanant, atque exponunt illud posterius: PERIBIS IN AETERNUM ET OPERIET TE CONFUSIO. Itaque totam hanc orationem sic liceat construere: PROPTER INIQUITATEM IN FRATREM TUUM JACOB IN DIE CUM STARES ADVERSUS EUM, QUANDO CAPIEBANT ALIENI EXERCITUM EJUS, ET EXTRANEI INGREDIEBANTUR PORTAS EJUS, ET SUPER HIERUSALEM MITTEBANT SORTES, TU ERAS UNUS EX EIS. Et mox, ET OPERIET TE CONFUSIO ET PERIBIS IN AETERNUM, ET NON DESPICIES IN DIE FRATRIS TUI IN DIE PEREGRINATIONIS EJUS, quae versibus continentur duodecimo et decimotertio. Nam est

(1) Job. xxii. (2) Esa. xiv.

id moris sanctarum litterarum, ut earum nonnullis in locis mihi observasse videor, ut positus prius, sine causae redditione, duabus simul aut tribus sententiis, mox ordine quodam subjiciant aut explanationes, aut probationes, aut causas earum singularum singulas suo ordine, non expresso, tamen, quae probationes quibus sententiis respondeant. Ex quo nonnunquam maxima existit obscuritas. Quae ex observatione exponi potest, et illustrari apud Lucam perobscurus locus (1), qua Christus adversus Phariseos sic dicit. Profecto testificamini, et consentitis operibus patrum vestrorum; (nam sic esse legendum, et eam esse hujus loci germanam vulgatae editionis lectionem, et non ut legi vulgo solet, Testificamini quod consentitis, constat non solum e Graecis codicibus, sed e vulgatae editionis textu, qui est in emendatissimis Bibliis Complutensibus atque Regiis). Ergo, inquit Lucas, sive potius Christus apud Lucam. Testificamini, et consentitis operibus patrum vestrorum. Et subjicit e vestigio. Quoniam ipsi eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulchra. Propterea sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, et Apostolos, et ex illis occident, et persequentur. Quae verba eo obscura et ad intelligendum difficilia videntur esse, quod ejus quod dixit: et consentitis operibus patrum vestrorum, pro causa ut videtur reddit quod statim subjicit, quoniam ipsi eos occiderunt vos autem aedificatis eorum sepulchra. Nam ex eo quod Judaei aedificarent monumenta Prophetarum eorum, quos ipsorum interfecerunt majores, nulla concludi ratione possit ipsos approbare, quod ad eas caedes attinet, facta majorum suorum, sed improbare ea potius colligitur, quando eos sepulchri prosequantur honore, quos majores sui ignominia dignos duxerunt, atque adeo morte affecerunt. Qua in re expedienda mirum est, quomodo se nonnulli torqueant, ea comminiscens, quae nemo fortasse sanus ad-

(1) Luc. xi.

miserit. At ea res expeditur facile, si modo, id quod dixi, observemus. Nam in illo, testificamini, et consentitis operibus patrum vestrorum, quamvis praecise, et tacitis quibusdam verbis posito, duo diversa affirmantur: Primum ipsos Judaeorum Sacerdotes, et Phariseos fateri atque testificari ab iis se esse progenitos, a quibus veteres fuerunt occisi Prophetas; ea enim vis est illius verbi, testificamini. Nam addi debet: Testificamini ducere vos genus ab illis. Et ita legitur in Matthaeo, in vigesimo tertio (1): Testificamini quod estis filii eorum qui prophetas occiderunt. Alterum, quod affirmatur, est factis ipsos consentire cum patribus suis, hoc est, imitari exempla majorum occidendo Prophetas. Harum igitur duarum sententiarum nude prius positarum probationes, Divus Lucas protinus subjicit, et prioris quidem prius, hoc modo. Nam illud testificari Judaeos se esse natos ab iis, qui interemerunt Prophetas, confirmat sic dicens, quoniam illi eos occiderunt, et vos eorum monumenta aedificatis, quo illorum scilicet vobis placetis manes, ne quam iram conceperunt adversus majores vestros, a quibus sunt interfecti, eam in vos effundant: quod nihil aliud est, quam fateri a quibus illi occisi sunt, ab eisdem vos fuisse progenitos. Illud porro alterum, quod in eadem oratione jungitur, consentire illos factis cum majoribus suis, et similiter atque illi grassati sunt in Prophetas, et ipsos grassari confirmat non illis quidem verbis, quoniam illi eos occiderunt et vos eorum monumenta aedificatis. Nihil enim afferre posset, quod ejus consensionis et approbationis minus faceret fidem, sed illis, quae e vestigio sequuntur. Propterea sapientia Dei dixit. Mittam ad illos Prophetas et Apostolos, et ex illis occident et persequentur; id est, confirmat id quod dixerat imitari eos exempla majorum a testimonio, quoniam esset ab Spiritu Sancto praedictum fore, ut illius aetatis Judaei mortem illaturi

(1) Matth. xxiii.

essent multis sanctissimis viris, mores imitati suorum, qui et ipsi impie et immaniter interemerunt Prophetas. Itaque si singulis quae in principio proposita sunt singulas probationes post subjectas reddamus, discussis omnibus tenebris, suus illi orationis sensus constabit. Sed ad nostrum redeamus:

IN DIE, INQUIT, CUM STARES ADVERSUS EUM. Enumerat injuriae ab Idumaeis illatae singulas partes, ut eo magis ipsam amplifcet; quod enim uno pene verbo posuerat Idumaeos propter iniquitatem, quam exercuerunt in Judaeos fratres suos esse delendos, id pluribus mox explicat verbis. PROPTER INIQUITATEM, inquit. Sed quamnam iniquitate? QUAM OPERATUS EST, inquit, QUANDO CAPIEBANT ALIENI EXERCITUM EJUS, ET EXTRANEI INGREDIEBANTUR PORTAS EJUS, ET SUPER HIERUSALEM MITTEBANT SORTEM, id est, quam certe in eum eo exercuisti tempore, quando illius misereri debuisses maxime, id est, quando illum inimici hostiliter diripiebant. IN DIE CUM STARES ADVERSUS EUM. Rupertus abbas existimat Abdiam his verbis significare expeditionem Idumaeorum in Judaeos, rege Josaphat, de qua in libris Paralipomenon fit mentio, qua scribitur (1): Amonitas et Moabitas conjunctis armis cum Idumaeis, magna-que militum comparata manu, studio Hierosolymorum urbis et nominis Judaeorum delendi irrupisse in Judaeam, sed repulsos virtute Dei. Sed hoc dicitur sine dubio non recte. Primo quia in ea expeditione Idumaei et eorum socii nullam cladem scribuntur intulisse Judaeis: ipsi potius maxima clade affecti fuisse dicuntur: hic vero magnaecujusdam cladis opera et auxilio Idumaeorum Judaeis illatae mentio fit. Quod aperte illa indicant. QUANDO CAPIEBANT ALIENI EXERCITUM EJUS, ET EXTRANEI INGREDIEBANTUR PORTAS EJUS, ET SUPER HIERUSALEM MITTEBANT SORTEM. Deinde, quia, ut infra dicetur, hujus Idumaeorum impietatis atque

(1) Paral. II, c. XX.

sceleris causa dicitur futurum, ut eos, sic Deus debilitet et ad nihilum redigat, ut deinceps nemini auxilio esse adversus Judaeos possint. Constat autem multo post illa tempora Josaphat, tempore, scilicet, Sedechiae Judaeorum regis, Idumaeos auxilio fuisse, Chaldaeis urbem evertentibus, ut jam demonstravimus. Igitur haec nullo modo intelligi possunt de illa Amonitarum in Judaeam expeditione, de qua Ruperto Abbati videtur. Quare Dionysius ad id tempus ista pertinere putat, quando rex Idumaeorum Joachim in Babylonem ductus est captivus, octavo regni Nabuchodonosoris anno, de quo in quarto libro historiae Regum fit mentio (1). Quo tempore dicit Dionysius Idumaeos auxiliatos fuisse Chaldaeis, eoque dici in die cum stares adversus eum, quando alieni, id est Chaldaei, capiebant exercitum ejus: nimirum Joachimum et omnes viros militares cum eo, et ingrediebantur portas ejus, scilicet, urbis Hierosolymorum. Cui sententiae Lyranus etiam assentire videtur, quamquam ad extremum non perstat. Sed neque probari ea sententia ullo modo potest, tum quia eo tempore urbs Hierusalem, ut in libris historiae Regum scribitur, direpta atque exusta non fuit, at hic Idumaei simul cum Judaeorum hostibus eam diripuisse, et sortiti fuisse praedam dicuntur; tum quia, uti diximus, praedicitur infra futurum, ut Idumaei deinceps non sint nocituri Judaeis, nec de eorum gavisuri ruina, et constat anno duodecimo post captum Joachimum, urbem a Chaldaeis captam et direptam, et solo fuisse aequatam, Idumaeis suppetias ferentibus, ut memoratur in psalmo (2), et ut Jeremiae libris pluribus locis colligitur. Quare dici necesse est de eo quando urbs est eversa a Chaldaeis intelligi ista deberi, qua in eversione Idumaei Chaldaeis egregiam navarunt operam, armaque contra Judaeos tulerunt. Quanta porro Idumaeo-

(1) Reg. IV, cap. XXIV.

(2) Psal. CXXXVI.